
4



IN NOĪE SANCTISSIMÆ
et indiuiduæ Trinitatis
Patris & Filij et Spiritus sti Amen

NOVERINT Uniuersi, et singuli hoc præsens publicum transumpti
instrumentum visuri lecturi pariter, et audituri quod Nos PETRUS
PAULUS CRESCĒTIUS Prothonotarius apostolicus utriusqꝫ
signaturæ Sanctissimi Domini nostri Papæ Referendarius, Curiæqꝫ causarum
Cameræ apostolicæ generalis Auditor, et Romanæ Curiæ Iudex ordinarius
sententiarum quoqꝫ et censurarum in eadem Romana Curia et extra
eam latarum, ac litterarum apostolicarum quarumcunqꝫ uniuersalis
et merus Executor ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa speciali=
ter deputatus, Ad instantiam, et requisitionem Reuerendi Patris Lau=
rentij de Paulis Procuratoris Generalis Venerabilis Societatis Iesu,
omnes, et singulos sua communiter, et diuisim interesse putantes, eorumqꝫ
procuratores si qui tunc erant in Romana Curia pro eisdem ad dicendum
et excipiendum quicquid uerbo, uel in scriptis contra decretum Sacræ
Congregationis Rituum super beatificatione Beati Patris Ignatij Loyolæ
eiusdem Societatis Fundatoris, subscriptum per Illmum et Reuerendissi=
mum Dominum Cardinalem Pinellum, Sacri Collegij Cardinalium Decanū
et eiusdem Sacræ Congregationis Præpositum, illiusq. solito sigillo munitum
et à Domino Joanne Paulo Mucantio eiusdem Congregationis Secretario, si=
militer subscriptum sub Datum Romæ die uigesima septima Julij anno a
natiuitate Domini millesimo sexcentesimo nono, pontificatus uero preli=
bati Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Domini Pauli diuina

providentia Papæ quinti anno quinto, dicere, uel excipere volebant, uiden-
dumq dictum decretum transumi, et exemplari, et in publicam transumpti
formam redigi mandari, nostramq et Curiæ nostræ auctoritatem pariter
et decretum desuper necessarium, et opportunum interponi per edicta
publica ut moris est, stantibus ferijs nuper indictis citari fecimus, et
mandauimus ad diem et horam infrascriptas, quibus aduenientibus
Comparuit in Juditio Coram nobis R. Pater Laurentius procurator generalis
prefatus, et citatorum non comparentium contumaciam accusauit, ipsosq
contumaces reputari, et in eorum contumaciam suptum decretum facto
realiter et in scriptis infrascripti tenoris exhibuit, et produxit, quodquidem
decretum ad manus nostras recepimus, uidimus, legimus, et diligenter ins-
peximus, et quoniam sanum, integrum, illesum, non cancellatum, non
vitiatum, nec in aliqua illius parte suspectum sed omni prorsus vitio
et suspitione carere inuenimus, dictum decretum per notarium pu-
blicum infrascriptum transumi, et exemplari, et in publicam tran-
sumpti formam redigi fecimus, et mandauimus; Volentes et auto-
ritate dictæ Curiæ nostræ decernentes quod presenti nostro tran-
sumpto cum eodem decreto diligenter ausculato collationato, et Concor-
dato de cætero in antea, tam in Romana Curia quam extra eam
ubiq locorum in iuditio, et extra stetur, illiq detur et adhibeatur
talis et tanta fides, qualis, et quanta dicto decreto originali
inferius inserto et cum presenti transumpto ausculato, et collationato
data fuit, et adhibita, daturq et adhibetur, seu daretur et adhibere-
tur si in iuditio exhiberetur Cuius tenor est talis Vz. DOMI-
NICVS EPISCOPVS OSTIEN. Sacri Collegij Decanus
Sanctæ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Pinellus Congregationis Sacrorum
Rituum Præpositus. Vniuersis et singulis presentes inspecturis, lecturis
et audituris salutem in Domino sempiternam; Cum ob excellentiam
et Sanctitatem uitæ bon. mem. Ignatij de loyola fundatoris Societatis Jesu
quæ non sine maxima totius Reipublicæ xpianæ utilitate, et incremen-
to per uniuersum orbem diffusa, et dilatata est, atq ob miraculorum
corruscationem quæ omnipotens, et misericors Deus, præter consuetum
naturæ usum, eiusdem Ignatij meritis, et intercessione, tam dum
uiueret, quam post eius felicem in Domino obdormitionem operari
dignatus est, et quotidie in dies, adhuc operari non dedignatur
omnes pene Reges, et Principes Catholici, ac nonnulla Metropolitana-
rum, et Cathedralium Ecclesiarum Capitula, et multæ Ciuitates atq
eiusdem Societatis Jesu uniuersus ordo iteratis precibus, et per
literas, et in uoce, ac in scriptis Sanctissimo Domino nostro
Papæ Paulo quinto humiliter supplicauerint, et apud Illmos et
Reuerendissimos Dominos Cardinales Prepositos in Sacra Rituum
Congregatione sæpe sæpius institerint, ut ad conseruandam, et au-
gendam populorum deuotionem, quæ maxime, et ubiq in toto orbe
terrarum diffusa est, erga ipsum bon. mem. Ignatium de loyola
ob innumeras eius meritis receptas à Deo gratias, Cum iam processus
de puritate fidei, morum excellentia, sanctitatis uitæ, et miraculorum
Corruscatione eiusdem bon. mem. Ignatij auctoritate apostolica Con-
fecti essent, et in eadem Sacra Congregatione presentati ad Dei
gloriam et Catholicæ Ecclesiæ augumentum Sanctitas sua dignaretur
committere, et ordinare procedi ad ulteriora in canonizatione

dictæ bonæ memoriæ Ignatij de loyola, et interim donec effectualiter
ad præfatam canonizationem deueniatur, et dictus Ignatius in nu-
merum Sanctorum referatur Beatus nuncupari possit et debeat
atq; de eo ueluti de Beato Missa atq; officium recitari ualeat, sicut de
uno Confessore non Pontifice, tam in Vrbe ubi eius corpus sepultum
est quam ubiq; a Patribus Clericis et Religiosis ipsius Congregationis
Societatis Jesu quam ipse Ignatius uiuens instituit, et fundauit;
Et cum idem Sanctissimus Dominus noster litteras processus et
scripturas omnes præfatas ad eandem sacram Rituum Congregationem
remiserit, ut mature omnibus examinatis quid de instantijs, et peti=
tionibus prædictis Sacra Rituum Congregatio sentiret Sanctitati suæ
referret. Tandem eadem Sacra Rituum Congregatio uiso compendio
siue summario gestorum uitæ, et miraculorum ipsius Ignatij
per manus singulorum Dominorum Cardinalium eiusdem Congre-
gationis transmisso et audita relatione Illustrissimi et Reuerendissimi D.
Cardinalis Pamphilij cui particular hoc negotium diligenter uidendum et
examinari ab eadem Sacra Congregatione commissum fuerat in plena
Congregatione facta in ædibus nostræ solitæ residentiæ in qua una
nobiscum interfuerunt Illustrissimi et Rmi Domini Antonius Maria
Episcopus Prenestin Gallus, Franciscus Maria tituli Sanctæ Mariæ in Ara-
celi de Monte, Robertus tituli Sanctæ Mariæ in via Bellarminus, Hie-
ronimus tituli Sancti Blasij de Anulo Pamphilius, Joannes Garzias
tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Millinus, Joannes Baptista
tituli Sancti Sixti Lenus Presbiteri, Andreas tituli Sancti Angeli in foro
piscium Perettus Joannes Baptista Sanctæ Mariæ in Cosmedin Detus

et

et Aloysius Sanctæ Agathæ Capponus Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum Præpositi, matureq; discussis
et examinatis omnibus discutiendis et examinandis omnes supradicti
Illustrissimi et Reuerendissimi Domini Cardinales censuerunt et de-
clarauerunt (si Sanctissimo Domino nostro ita placuerit) ut ipse bon. mem.
Ignatius de loyola fundator Societatis Jesu in posterum Beatus nuncupari
possit et valeat, deq; ipso tanquam de Beato officium et missa sicut de
uno Confessore non Pontifice ab omnibus Presbiteris Clericis et Religiosis
dictæ Societatis Jesu in eorum Ecclesijs et locis tantum libere, et licite
in die eius felicis obdormitionis in Domino pridie Kal. augusti recitari
possit et valeat et in Vrbe dicta die in Ecclesia Societatis Jesu tantum
ubi eius venerabile corpus requiescit, omnes sacerdotes tam Regulares
cuiuscunq; ordinis, quam seculares pro eorum deuotione de eodem
missam celebrare possint et ualeant. Et idem Sanctissimus Dominus
noster Paulus Papa quintus audita de premissis omnibus relatione
Sanctitati suæ a nobis facta, sententiam Congregationis approbauit, et
laudauit ac indulsit, et concessit, ut dictus Ignatius de loyola in poste-
rum Beatus nuncupari possit, et ualeat et de eo in omnibus Ecclesijs
et locis Societatis Jesu ab ipsis Presbiteris, et Clericis eiusdem Societatis
tantum officium, et Missa de commun unius Confessoris non Pontificis
libere et licite in die eius felicis obdormitionis in Domino pridie
Kal. Augusti recitari et celebrari possit, et ualeat, et in Vrbe dicta
die in Ecclesia Societatis Jesu tantum ubi dicti Beati Ignatij corpus
requiescit, omnes Presbiteri, tam seculares, quam Regulares missam
in honorem ipsius Beati Ignatij pro eorum deuotione celebrare libere

et licite possint, et ualeant concessit, et indulsit. In quorum omnium, et singulorum fidem, et testimonium praesentes per Infrascriptum eiusdem Congregationis Secretarium fieri iussimus et manu nostra propria subscripsimus, nostriq. soliti sigilli impressione muniri fecimus Romae die uigesima septima Julij anno à natiuitate Dni millesimo sexcentesimo nono Pontificatus uerò praelibati Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Pauli diuina prouidentia Papae quinti Anno quinto. Ego Dominicus Epus Ostien. Cardinalis Pinellus locus + sigilli J. P. Mucantius secretarius Congregationis

Superquibus omnibus et singulis praemissis et singulis praemissis tanquam ritè rectè et legitimè gestis, nram et Curiae nostrae autem et decretum interponendum duximus, interposuimus, et interponimus per praesentes. In quorum fidem praesentes nostras siue praesens hoc publicum instrumentum publicum exinde fieri, et per infrascriptum Curiae nostrae notarium subscribi, sigilliq. R. Camerae Apostolicae quo in talibus utimur fecimus appensione muniri. Datum Romae ex aedibus nostris sub anno à natiuitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nono Inditione septima, Die uerò nona mensis 7mbris pontus S.mi D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papae quinti anno quinto praesentibus ubi supra D. D. Hieronimo fabrio de Treuio Spoletan. dioc. et Petro Antonio Catalono Romano V. J. D. Connotarijs testibus uocatis specialiter atq. rogatis

[illegible]





Ego Paulus Blanchus Rom[illegible] [illegible] subscripsi



